

amare professus est. Quia nimirum quod in tenebris oblivionis erravit, et speratae iam lucis rememoratione corripit, et eiusdem verae lucis adeptae praesentia, plene totum quidquid nutaverat, erexit. Hunc opinor gallum aliquem doctorum intelligendum, qui nos iacentes excitans, et somnolentos increpans dicat: *Evigilate iusti et nolite peccare.*

2785 *Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Iesus: Priusquam gallus canet bis, ter me negabis. Et coepit flere.* Quam nociva pravorum colloquia? Petrus ipse inter infideles vel hominem se nosse negavit, quem inter discipulos iam Dei Filium fuerat confessus. Sed nec in atrio Caiphae retentus poterat agere poenitentiam. Egreditur foras, ut alii narrat Evangelistae, quatenus ab impiorum concilio secretus, sordes pavidae negationis liberis fletibus abluat.

2786 *Et confestim consilium facientes mane summi sacerdotes cum senioribus et scribis et universo concilio, vincientes Iesum duxerunt et tradiderunt Pilato.* Non solum ad Pilatum, sed etiam ad Herodem ductus est, ut uterque Domino illuderet. Et cerne sollicitudinem sacerdotum in malo. Tota nocte vigilaverunt ut homicidium facerent, et vinctum tradiderunt Pilato. Habebant enim hunc morem, ut quem ad iudicassent morti, ligatum iudici traderent. At tamen notandum quod non tunc primum ligaverunt eum, sed mox comprehensum nocte in orto, ut Ioannes declarat: *Ligaverunt, et sic adduxerunt eum ad Annam primum.*

2787 *Et interrogavit eum Pilatus: Tu es rex Iudaeorum? Pilato nihil aliud criminis interrogante nisi utrum rex Iudaeorum sit, arguuntur impietatis Iudaei, quod ne falso quidem invenire poterint quod obicerent Salvatori.*

2788 *At ille respondens ait illi: Tu dicis.*

Sic respondit ut et verum diceret, et sermo eius calumniae non pateret. Et attende quod Pilato qui invitatus ferebat sententiam, aliqua in parte responderit, sacerdotibus autem et principibus respondere noluerit, indignosque suo sermone iudicavit.

*Pilatus autem rursus interrogavit eum dicens: Non respondes quidquam? Vide in quantis te accusant: Iesus enim amplius nihil respondit.* Ethnicus quidem est qui condemnat Iesum, sed causam refert in populum Iudaeorum. *Vide in quantis te accusant.* Iesus autem nihil respondere voluit, ne crimen diluens dimitteretur a praeside, et crucis utilitas differetur.

*Pontifices autem concitaverunt turbam ut magis Barabbam dimitteret eis.* Haeret Iudaeis usque hodie sua petitio, quam tanto labore impetrarunt. Quod enim data sibi optione pro Iesu latronem, pro Salvatore interfectorem, pro datore vitae elegerunt ademptorem, merito salutem perdidit et vitam, et latrocinis sese ac seditionibus in tantum subdidit, ut et patriam regnumque suum quod plus Christo amavere, perdidit, et hactenus eam quam vendidere sive animae sive corporis libertatem recipere non meruerit.

*Pilatus autem iterum respondens ait illis: Quid ergo vultis ut faciam regi Iudaeorum? At illi iterum clamaverunt: Crucifige eum. Pilatus vero dicebat eis: Quid enim mali fecit? Multas liberandi Salvatorem Pilatus occasiones dedit. Primum latronem iusto conferens, deinde inferens: Quid ergo vultis, ut faciam Regi Iudaeorum? Cumque responderent, crucifigatur, non statim acquievit, sed iuxta suggestionem uxoris quae mandaverat ei, ut Matthaeus scribit: *Nihil tibi et iusto illi, ipse, serioque respondens: Quid enim, ait, mali fecit;* hoc dicendo Pilatus absolvit Iesum.*

2790 *At illi magis clamabant: Crucifige eum.* Ut impleteretur quod in vigesimo primo Psalmo dixerat: *Circumdederunt me caecae multi, congregatio malignantium obsecravit me;* et illud Hieremiae: *Facta est mihi haereditas mea sicut leo in syria, dederunt super me vocem suam.* Isaia quoque in hac sententia congruente, et expectavit ut faceret iudicium, fecerunt autem iniquitatem et non iustitiam, sed clamorem.

2793 *Pilatus autem volens populo satisfacere dimisit illis Barabbam, et tradidit Iesum flagellis caesum, ut crucifigeretur.* Iesus autem flagellatus non ab alio, quam ab ipso Pilato intelligendus est. Scribit namque aperte Ioannes: *Clamaverunt rursus omnes dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro. Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit.* Ac deinde subiungit: *Et milites placentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, etc.* Quod quidem ideo fecisse, atque ideo credendus est militibus eum illudendum tradidisse, ut satiati poenis et opprobriis eius, mortem eius ultro sitire desisterent. Hoc autem factum est, ut quia scriptum erat: *Multa flagella peccatorum,* illo flagellato nos a verberibus liberaremur, dicente Scriptura: *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

2794 *Milites autem duxerunt eum in atrium praetorii, et convocant totam cohortem, et induunt eum purpura, et imponunt ei placentes spineam coronam, et coeperunt salutare eum: Ave rex Iudaeorum.* Milites quidem quod rex Iudaeorum fuerat appellatus, et hoc ei scribae et sacerdotes crimen obiecerant, quod sibi in populo Israelitico usurparet imperium, illudentes hoc faciunt, ut nudatum pristinis vestibus induant purpura, qua reges veteres utebantur: ut pro diademate imponant ei coronam spineam, pro sceptro regali, dent calamum, ut Matthaeus scribit, et adorent quasi regem. Nos autem

omnia haec intelligamus mystice. Quomodo enim Caiphas dixit: *Oportet unum hominem mori pro omnibus, nesciens quid diceret,* et isti quodcumque fecerunt, licet alia mente fecerint, tamen nobis qui credimus sacramenta tribuebant. Notandum autem pro eo quod Marcus ait: *Et induunt eum purpura,* Matthaeus ita posuit: *Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.* Ubi intelligitur quod Matthaeus ait: *Chlamydem coccineam circumdederunt ei,* hoc Marcus dixisse, *Indutum purpura.* Pro regia enim purpura chlamys illa coccinea illudentibus adhibita erat, et est rubra quaedam purpura coco similima. Potest etiam fieri ut purpuram etiam Marcus commemoraverit, quam chlamys habebat, quamvis esset coccinea. Mystice ergo in purpura qua indutus est Dominus, ipsa eius caro quam passionibus obiecit, insinuat. De qua praemissa dixerat propheta: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua quasi calcantium in torculari?* In corona vero quam portabat spinca, nostrorum susceptio peccatorum, pro qua mortalis fieri dignatus est, ostenditur. Iuxta quod praecursor ipsius testimonium ei perhibens ait: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Namque spinas in significatione peccatorum poni solere testatur ipse Dominus, qui protoplasto in peccatum prolapsus [dixit], *Terra tua spinas et tribulos germinabit tibi.* Quod est aperte dicere: Conscientia tua punitiones tibi et auleos vitorum procreare non desistet. Quod vero iuxta Evangelium Lucae Dominus apud Herodem alba veste induitur, in ceteris vero Evangelistis a militibus Pilati sub coccineo sive purpureo habitu illusio esse perhibetur, collata utraque narratione in uno, innocencia et castitas assumptae humanitatis, in altero autem veritas passionis per quam ad gloriam

regni immortalis esset perventurus, exprimitur. Sicut enim purpuram colorem sanguinis, qui pro nobis effusus est, imitatur: ita et habitus regni quod post passionem intravit nobisque intrandum patescit, insinuat. Verum quia dicit Apostolus: *Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis*; et Isaias Domino, de electis omnibus: *His, inquit, velut ornamento vestieris*; potest in hoc utroque Domini habitu inimicorum quidem sententia probroso, sed ipsius Domini electione gloriosissimo, omnis electorum eius multitudo, quae in martyres venerandos, et ceteram fidelium plebem distinguitur, aptissime designari. Alba etenim veste induitur, cum munda iustorum confessione circumdatur. Purpura sive coco vestitur, cum in triumpho victoriosorum martyrium gloriatur.

<sup>2795</sup> *Et percutiebant caput eius arundine, et conspuebant eum. Et ponentes genua adorabant eum.* Haec tunc fecere milites Pilati, haec usque hodie faciunt haeretici et pagani, milites utique diaboli. Quia enim caput Christi Deus, caput eius percutiunt qui eum Deum esse verum denegant. Et quia per arundinem Scriptura solet confici, quasi arundine caput Christi feriunt, qui divinitati contradicentes, errorem suum confirmare auctoritate sacrae Scripturae conantur. Spuunt in faciem eius, qui eius praesentiam gratiae, verbis execrandis ex interna caecae mentis insaniam conceptis respuunt, et Iesum Christum in carne venisse denegant.

<sup>2796</sup> Et quidem milites eum quasi qui Deum se ipse falso dixisset illudentes adorabant. Sed sunt hodie, quod est gravioris vesaniae, qui eum, certa fide ut Deum verum adorant, sed perversis actibus mox verba eius quasi fabulosa despicunt, ac promissa regni illius

temporalibus illecebris longe postponunt.

*Et educant illum ut crucigerent eum.* <sup>2797</sup> *Et angariaverunt praetereamlem quempiam Simonem Cyrenaeum venientem de villa, patrem Alexandri et Rufi, ut tolletet crucem eius.* Magnae tunc opinionis fuisse Simon iste videtur, cum filii quoque eius quasi iam noti omnibus designentur ex nomine. Sed cavendum ne cui videatur contrarium, quod Ioannes scribit, ipsum Dominum sibi crucem portasse: ceteri vero Evangelistae hunc Simonem Cyrenaeum eam baiulasse referunt.

Primo namque a Domino portata, <sup>2798</sup> ac deinde Simoni, quem exeuntes forte obvium habuerunt portanda imposita est. Et hoc congruo satis ordine mysterii. Quia nimirum *ipse passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius.*

<sup>2799</sup> Et quia Simon iste non Ierosolymita, sed Cyrenaeus esse perhibetur (Cyrene enim Libyae civitas est, ut in Actibus Apostolorum legimus), recte per eum populi gentium designantur, qui quondam peregrini et hospites testamentorum, nunc obediendo cives sunt et domestici Dei, et sicut alibi dicitur: *Haereticus quidem Dei, cohaereditas autem Christi.* Unde apte Simon obediens, Cyrene, haeres interpretatur. Nec praetereundum quod idem Simon de villa venisse refertur. Villa enim Graece *Itzyc* dicitur. Unde paganos appellamus eos quos a civitate Dei alienos, et quasi urbanae conversationis videmus esse expertes. Sed de pago Simon egrediens crucem portat post Iesum, cum populus nationum, paganis ritibus derelictis, vestigia Dominicae passionis obedienter amplectitur.

<sup>2800</sup> *Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est interpretatum Calvariae locus.* Extra orbis portam loca sunt in quibus

truncantur capita damnatorum, et Calvariae, id est, decollatorum sumpsere nomen. Propterea autem ibi crucifixus est Dominus, ut ubi prius erat area damnatorum, erigerentur vexilla martyrii.

<sup>2801</sup> Et quomodo pro nobis maledictum crucis factum est, et flagellatus et crucifixus, sic pro omnium salute quasi noxius inter noxios crucifigitur.

<sup>2802</sup> *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum, et non accepit.* Deus loquitur ad Ierusalem: *Ego te plantavi vineam meam veram, quomodo facta es in amaritudinem vitis alienae?* Amara vitis amarum vinum fecit: quod propinatur Domino Iesu, ut impleatur quod scriptum est: *Deriderunt in cibum meum fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Quod autem dicitur: *Et non accepit*, vel secundum Matthaeum: *Cum gustasset, noluit bibere*, hoc indicat, quod gustaverit quidem pro nobis mortis amaritudinem, sed tertia die resurrexit.

<sup>2803</sup> Quod enim ait Marcus, *non accepit*, intelligitur, non accepit ut biberet. Gustavit autem, sicut Matthaeus testis est, ut quod idem Matthaeus ait: *Noluit bibere*, hoc Marcus dixerit: *Non accepit*, tacuerit autem quod gustaverit. Sed et hoc quod ait Marcus: *Mirrhatum vinum*, intellegendum est, Matthaeum dixisse: *Cum felle mixtum.* Fel quippe pro amaritudine posuit. Et myrrhatum vinum amarissimum est, quamquam fieri possit, ut et felle et myrrha vinum amarissimum reddetur.

<sup>2804</sup> *Et crucifigentes eum, dividerunt vestimenta eius, mittentes sortem super eis, quis quid tolletet.* Haec Ioannes Evangelista plenius exponit: quod, scilicet, milites cetera in quatuor partes iuxta suum numerum dividentes, de tunica quae inconsutilis erat desuper contexta per totum, sortem miserint.

<sup>2805</sup> Quadripertita autem vestis Domini,

quadripertita eius figuravit Ecclesiam, toto scilicet orbe qui quatuor partibus constat terrarum diffusam, et omnibus eisdem partibus aequaliter, id est, concorditer distributam. Tunica vero illa sortita, omnium partium significat unitatem, quae charitatis vinculo continetur. Si enim charitas iuxta Apostolum, et supereminentiorem habet viam, et supereminet scientiae, et super omnia praecipua est, merito vestis quae significatur, desuper contexta perhibetur. In sorte autem quid nisi gratia Dei commendata est? Sic quippe in uno ad omnes pervenit, cum sors omnibus placuit: quia et Dei gratia in unitate ad omnes pervenit. Et cum sors mittitur, non personae cuiuscumque vel meritis, sed occulto Dei iudicio creditur. Et quia sicut dicit Apostolus: *Vetus homo noster simul affixus est cruci cum illo, ut evacuaretur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato*, quamdiu id agunt opera nostra ut evacuetur corpus peccati, et quamdiu exterior homo corrumpitur, ut interior renovetur de die in diem, tempus est crucis. Haec sunt etiam bona opera quidem, tamen adhuc laboriosa, quorum merces requies est. Sed ideo dicitur: *Spe gaudentes, ut requiem futuram cum hilaritate in laboribus operemur.* Hanc hilaritatem significat crucis latitudo in transverso ligno ubi figuntur manus. Per manus enim opera intelligimus, per latitudinem hilaritatem operantis: quia tristitia facit angustias. Per altitudinem autem, cui caput adiungitur, expectatio retributionis de sublimi iustitia Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua, his quidem secundum tolerantiam boni operis, gloriam et honorem, et incorruptionem quaerentibus vitam aeternam. Itaque etiam longitudo qua totum corpus extenditur, ipsam tolerantiam significat, unde longanimes dicuntur qui tolerant.

Profundum autem quod terrae infixum est, secretum sacramenti praefigurat. Recordaris, nisi fallor, quod verba Apostoli in ista designatione crucis expediuntur ubi ait: *In charitate radicali et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quae sit longitudo, latitudo, altitudo et profundum.*

3806 *Erat autem hora tertia et crucifixerunt eum.* Sunt qui arbitrentur hora quidem tertia Dominum crucifixum, a sexta autem hora tenebras factas usque ad nonam, ut consumptae intelligantur tres horae, ex quo crucifixus est, usque ad tenebras factas. Et posset quidem hoc rectissime intelligi, nisi Ioannes diceret hora quasi sexta Pilatum sedisse *pro tribunali in loco qui dicitur Lithostratos, Hebraice autem Gabbatha.* Sequitur enim, Paraseve Paschae hora quasi sexta, et dicit Iudaeis: *Ecce rex vester, etc.* Si ergo quasi sexta Pilato sedente pro tribunali traditus est crucifigendus Iudaeis, quomodo hora tertia crucifixus est, sicut verba Marci non intelligentes quidam putaverunt? Iam certe dixerat Marcus: *Et crucifigentes eum, diriserunt vestimenta eius.* Si ergo eis rei gestae tempus voluit commemorare, sufficeret dicere: *Erat autem hora tertia, ut quid adiunxit, et crucifixerunt eum?* nisi quia voluit aliquid recapitulando significare, quod quaesitum inveniretur, cum Scriptura ipsa illis temporibus legeretur, quibus universae Ecclesiae notum erat qua hora Dominus ligno suspensus est, unde posset huius vel error corrigi, vel mendacium refutari. Sed quia sciebat a militibus Dominum crucifixum non a Iudaeis, occulte ostendere voluit eos magis crucifixisse, qui clamaverunt ut crucifigeretur, quam illos qui ministerium principis suo secundum suum officium praebuerunt. Intellegitur ergo fuisse hora tertia cum clamaverunt Iudaei, ut Dominum crucifige-

retur. Et veracissime demonstratur tunc eos crucifixisse quando clamaverunt, maxime quia nolebant videri se hoc fecisse, et propterea eum Pilato tradiderunt, quod eorum verba satis indicant secundum Ioannem. Quod ergo maxime videri fecisse nolebant, hoc eos hora tertia fecisse Marcus ostendit, verissime indicans magis fuisse Domini necatricem linguam Iudaeorum, quam militum manus.

2807 *Et erat titulus causae eius inscriptus: Rex Iudaeorum.* Titulus positus supra crucem eius in quo scriptum erat: *Rex Iudaeorum, illud ostendit, quod nec occidendo efficere poterunt, ut eum regem non haberent qui eis manifestissima et eminentissima potestate secundum sua opera redditurus est. Unde in Psalmo canitur: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum eius.* Qui apte etiam quoniam rex simul et pontifex est, cum eximiam patri suae carnis hostiam in altari crucis offerret, regis quoque qua praeditus erat dignitate, titulo praetendit: ut cunctis legere, hoc est audire et credere volentibus insinuaret, quod per crucis patibulum non perdidit suum, sed confirmavit potius et corroboravit imperium.

2808 *Et cum eo crucifigunt duos latrones, unum a dextris, et alium a sinistris eius.* Latrones qui cum Domino sunt hinc inde crucifixi, significant eos qui sub fide et confessione Christi vel agonem martyrii, vel quaelibet continentiae arctioris institute subeunt. Sed quicumque haec pro aeterna solum coelestique gloria gerunt, hi profecto dextri latronis merito ac fide designantur. Atqui sive humanae laudis intuitu, seu quaelibet minus digna intentione mundo abrenuntiant, non immerito blasphematoris, ac sinistri latronis mentem imitantur et actus.

2809 De quibus dicit Apostolus: *Si tradero corpus meum ut ardeam, si dedero omnes facultates meas in cibos pauperum, si alia plura aut pietatis opera facere, aut dona gratiae spiritualis accepisse videar, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Beati autem qui sua propter Dominum, et propter Evangelium relinquunt. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.*

2810 *Similiter et summi sacerdotes illudentes ad alterutrum cum scribis dicebant: Alios, etc.* Etiam nolentes confitentur scribae et pontifices quod alios salvos fecerit. Itaque vos vestra condemnat sententia. Qui enim alios salvos fecit, utique si vellet, seipsum salvare poterat.

2811 *Christus rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus, et credamus.* Fraudulenta promissio. Quid est plus? de cruce adhuc viventem descendere, aut e sepulcro mortuum resurgere? Surrexit, et non creditis: ergo etiam si de cruce descenderit, similiter non creditis.

2812 *Et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei.* Quomodo qui cum eo crucifixi erant conviciabantur ei, quando quidem unus eorum conviciatus est, secundum Lucae testimonium, alter et contempsit eum, et in Deum credidit? nisi intelligamus Matthaeum et Marcum breviter perstringentes, hoc loco pluralem numerum pro singulari posuisse, sicut in epistola ad Hebraeos legimus pluraliter dictum: *Clauerunt ora leonem,* cum solus Daniel significari intelligatur. Et pluraliter dictum: *Secti sunt,* eum de solo Isaia tradatur. Quid autem usitatus verbi gratia, quam ut dicat aliquis, et rustici mihi insultant, etiam si unus insultet? Tunc enim esset contrarium, quod Lucas de uno manifestavit, si illi dixissent ambos latrones conviciatos Domino, cum non posset sub nu-

mero plurali unus intelligi. Cum vero dictum est, *latrones, vel, qui cum eo crucifixi erant,* nec additum est ambo, non solum si ambo fecissent posset hoc dici, sed etiam quia unus hoc fecit, potuit usitato locutionis modo per pluralem numerum significari. Quod vero Luca testante unus latro Dominum blasphemavit, dicens: *Si tu es Christus, salvum fac teipsum, et nos, alter vero illum digna invectione redarguit, et Dominum fideli supplicatione precatur dicens: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum,* usque hodie geri in Ecclesia videmus, cum mundanis tacti afflictionibus veri simul et falsi Christiani, illi quidem qui facta mente Dominicae passionis sacramenta gestant, ad praesentis vitae gaudia cupiunt liberari a Domino. At qui simplici intentione cum Apostolo non gloriantur nisi in cruce Domini nostri, ita potius a praesentibus aerumnis optant erui, ut spiritum suum in manus sui commendent auctoris, unaque cum ipso regni coelestis desiderant esse participes. Unde bene ille, qui fide dubia Dominum precabatur, funditus est contemptus a Domino, neque ulla responsione dignus habitus. At vero preces illius, qui aeternam a se salutem quaerebat, pia mox Dominus exauditione susceperit dignatus est. Quia nimirum, quicumque in tribulationibus positi temporalia tantum a domino solatia requirunt, temporalibus se pariter et aeternis gaudiis privant. Qui autem veraciter bona patriae coelestis suspirant, ad haec absque ulla dubitatione Christo miserante perveniunt.

2813 *Et facta hora sexta, tenebrae factae sunt per totam terram usque in horam nonam.* Clarissimum mundi lumen retraxit radios suos, ne aut pendente videret Dominum, aut impii blasphemantes sua luce fruerentur. Et notandum, quod Do-

minus sexta hora, hoc est, recessuro a centro mundi sole, crucifixus sit: diluculo autem, hoc est, oriente iam sole resurrectionis suae mysteria celebravit. Statu enim temporis signavit, quod effectu operis exhibuit. Quia mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. Nam et de Adam peccante scriptum est, quod audierit *vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem. Post meridiem* nempe, inclinata luce fidei. *Ad auram* vero, refrigescente fervore charitatis. Deambulans autem audiebat, quia ab homine peccante recesserat. Rationis ergo immo divinae pietatis ordo posebat, ut eodem temporis articulo, quo tunc Adae praevicariunt occluserat, nunc latroni Dominus poenitenti ianuam paradisi reseraret: et qua hora primus Adam peccando mortem huic mundo invexerat, eadem hora secundus Adam mortem moriendo destrueret.

2814 *Et hora nona exclamavit Iesus voce magna, dicens: Ueli, Heli lamasabactani, quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Principio vigesimi primi Psalmi usus est. Illud quod in medio versiculi legitur: *Respice in me*, superfluum est. Legitur enim in Hebraeo: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Nec mireris verborum humilitatem, querimonias derelicti, cum formam servi sciens, scandalum crucis videas. Sicut enim esurire et sitire, et fatigari non erant propria divinitatis, sed corporales passiones, ita et quod dicitur: *Ut quid me dereliquisti?* Corporalis vocis erat proprium: quia solet secundum naturam corpus nullatenus velle a sibi coniuncta vita fraudari. Licet enim et ipse Salvator hoc dicebat, sed proprie ostendebat corporis fragilitatem, manens virtus et sapientia Dei. Ut homo

ergo loquitur, meos circumferens motus, quod in periculis positi a Deo nos deserere putamus. Ut homo turbatur, ut homo flet, ut homo crucifigitur.

2815 *Et quidam de circumstantibus audientes dicebant: Ecce, Eliam vocat.* Non omnes, sed quidam. Quos arbitror milites fuisse Romanos, non intelligentes sermonis Hebraici proprietatem, sed ex eo, quod dixit: Heli, Heli, putantes Eliam ab eo invocatum. Sin autem Iudaeos, qui hoc dixerint, intelligere volueris, et hoc more sibi solito faciunt, ut Dominum imbecillitate infament, qui Eliae auxilium deprecetur.

2816 *Currens autem unus, et implens spongiam aceto, circumponensque calamo potum, dabat ei, dicens: Sine, videamus si veniat Elias ad deponendum eum.* Quam ob causam Domino acetum sit potui datum, Ioannes ostendit plenius, dicens: *Postea sciens Iesus, quia iam omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dicit: Sitio. Vas autem positum erat aceto plenum.* Illi ergo spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Vidit ergo, quoniam consummata sunt omnia, quae oportebat, ut fierent, antequam acciperet acetum, et traderet spiritum: atque ut hoc etiam consummaretur quod ait: *Et in siti mea potaverunt me aceto*, Sitio, inquit. Tamquam hoc diceret, hoc minus fecistis, dato quod estis. Iudaei quippe ipsi erant acetum, degenerantes a vino patriarcharum et prophetarum, tamquam de pleno vase, de iniquitate mundi huius impleto, cor habentes velut spongiam cavernosis quodammodo atque tortuosis latibus fraudulentum. Hyssopum, cui circumposuerunt spongiam aceto plenam, quoniam herba est humilis, et pectus purgat, ipsius Christi humilitatem congruenter accipimus, quam circumdederunt, et se circumvenisse putaverunt. Unde illud in

Psalmo: *Asperges me hyssopo, et mundabor*, Christi namque humilitate mundamur, quia nisi humiliasset *semetipsum, factus obediens Patri usque ad mortem crucis*, non utique sanguis eius in peccatorum remissionem, hoc est, in nostri mundationem fuisset effusus. Per arundinem vero, cui imposita est spongia, Scriptura significatur, quae implebatur hoc facto. Sicut enim lingua dicitur vel Greca, vel Latina, vel alia quaelibet, sonum significans, qui lingua promitur, sic arundo dici potest littera, quae arundine scribitur. Sed significantius sonos vocis humanae usitatissime dicimus linguas. Scripturam vero arundinem dici, quo minus usitatum, eo magis est mystice figuratum.

2817 *Iesus autem emissa voce magna expiravit.* Quid hac voce magna dixerit Dominus, Lucas aperte designat, dicens: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Et haec, inquit, dicens expiravit. Quod vero scribit Ioannes, quia cum accepisset Iesus acetum, dixit: *Consummatum est, et inclinato capite tradidit spiritum*, emissa est illa vox magna, quam tacuit Ioannes, ceteri autem tres commemoraverunt.

2818 *Et velum templi scissum est in duo, a sursum usque deorsum.* Scinditur velum templi, ut Arca Testamenti et omnia Legis sacramenta, quae tangebantur, appareant, atque ad populum transeant nationum. Ante etenim dictum fuerat: *Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius.* Nunc autem: *Exaltare super coelos Deus, et super omnem terram*, inquit, gloria tua. Et in Evangelio prius dixit: *In viam gentium ne abieritis.* Post passionem vero suam: *Euntes, inquit, docete omnes gentes.*

2819 *Videns autem Centurio, qui ex adverso*

*stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Vere homo hic Filius Dei erat.* Manifesta causa miraculi Centurionis exponitur, quod videns Dominum sic expirasse, hoc est, spiritum emisisse, dixerit: *Vere homo hic Filius Dei erat.* Nullus enim habet potestatem emittendi spiritum, nisi qui animarum conditor est. Et hoc considerandum est, quod Centurio ante crucem in ipso scandalo passionis, vere Dei Filium confiteatur, et Arius in Ecclesia praedicit creaturam. Unde merito per Centurionem fides Ecclesiae designatur, quae velo mysterium coelestium per mortem Domini reserato, continuo Iesum et vere iustum hominem, et vere Dei Filium Synagoga tacente confirmat.

2820 *Erant autem et mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Iacobi minoris et Iosephi mater, et Salome.* Et cum esset in Galilaea, sequebantur eum et ministrabant ei. Iacobum minorem dicit Iacobum Alphaci, qui et frater Domini dicebatur, eo quod esset filius Mariae materterae Domini, cuius in Evangelio suo meminit Ioannes, dicens: *Stabat autem iuxta crucem Iesu Mater eius, et soror matris eius Maria Cleophae.* Maria autem Cleophae videtur eam dicere a patre, sive a cognatione. Vocabatur vero minor Iacobus, ad distinctionem maioris Iacobi, videlicet, filii Zbedaei, qui inter primos Apostolos vocatus est, et electus a Domino. Consuetudinis autem iudaicae fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum atque vestitum praecipitoribus ministrarent: hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus abiecit se memorat: *Numquid non habemus potestatem sorores mulieres circumducendi, sicut et ceteri Apostoli faciunt?* Ministrabant autem Domino de substantia sua, ut meteret earum carnalia, cuius illae

metebant spiritualia. Non quod indigeret cibis Dominus creaturarum, sed ut typum ostenderet magistrorum, quod victu atque vestitu ex discipulis deberent esse contenti. Sed videamus, quales comites habuerit. Mariam scilicet Magdalenam, a qua septem daemonia eiecerat, et Mariam Iacobi et Ioseph matrem materteram suam, et alias, quas in ceteris Evangelis legimus.

2821 *Et cum iam sero esset factum (quia erat Parasceve, quod est ante sabbatum), venit Ioseph ab Arimathea nobilis decurio.* Decurio vocatur, quod sit de ordine curiae, et officium curiae administret. Qui etiam curialis, a procurando munera civilia, solet appellari. Arimathea autem, ipsa est Ramathaim, civitas Helchanae et Samuelis in regione Thamnica iuxta Diospolim. *Παρασκευη* vero Graece, Latine praeparatio dicitur. Quo nomine Iudaei, qui inter Graecos morabantur, sextam sabbati appellabant, eo quod in illo ea quae requirit sabbati necessaria essent, praeparare solerent. Iuxta hoc quod de manna quondam praeceptum est: *Sexta autem die colligitis duplum*, etc. Quia ergo sexta die factus est homo, et tota est mundi creatura perfecta, septima autem conditor ab opere suo requievit, unde et hanc sabbatum, hoc est, requiem voluit appellari, recte Salvator eadem sexta die crucifixus, humanae restorationis implevit arcanum. Ideoque cum accessisset acetum, dixit: *Consummatum est*: hoc est, sextae diei, quod pro mundi refectione suscepi, iam totum est opus expletum. Sabbato autem in sepulcro requiescens, resurrectionis quae octava die ventura erat, expectabat eventum. Ubi nostrae simul devotionis ac beatae retributionis praelucet exemplum, quos in hac quidem sexta saeculi aetate pro Domino pati, et velut mundo necesse est crucifigi. In septima vero aetate, id est,

cum lethi quis debitum solvit, corpora quidem in tumulis, animas autem secreta in pace cum Domino manere, et post bona oportet opera quiescere, donec octava tandem veniente aetate, etiam corpora ipsa resurrectione glorificata cum animabus simul incorruptionem aeternae haereditatis accipiant.

2822 *Venit, inquit, Ioseph ab Arimathea nobilis decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei. Et audacter introiit ad Pilatum, et petiit corpus Iesu.* Magnae quidem Ioseph iste dignitatis ad saeculum, sed maioris apud Deum meriti fuisse laudatur. Talem namque existere decebat eum, qui corpus Domini sepeliret, qui et per iustitiam meritorum tali ministerio dignus esset, et per nobilitatem potentiae saecularis facultatem posset obtinere ministrandi. Non enim quilibet ignotus aut medicis ad praesidem accedere, et crucifixi corpus poterat impetrare.

2823 *Ioseph autem mercatus est sindonem, et deponens eum, involvit sindone.* Et ex simplici sepultura Domini, ambitio divitum condemnatur, qui ne in tumulis quidem possunt carere divitiis. Possumus autem iuxta intelligentiam spiritualium hoc sentire, quod corpus Domini non auro, non gemmis, et serico, sed linteamine puro obvolvendum sit, quamquam et hoc significet, quod ille in sindone munda involvat Iesum, qui pura mente suscepit. Hinc Ecclesiae mos obtinuit, ut sacrificium altaris non in serico, neque in panno tineto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus est Domini in sindone munda sepultum, iuxta quod in gestis pontificalibus a beato Papa Silvestro legimus esse statutum.

2824 *Et posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, et advolet lapidem ad ostium monumenti.* De monumento Domini ferunt, quia nostra aetate de Ierosolymis in Britanniam venire, quod domus fuerit rotunda de subiacente rupe excisa tantae altitudinis, ut intro consistens homo vix manu extenta culmen possit attingere, quae habet introitum ab oriente, cui lapis ille magnus adolutus atque impositus est. In cuius monumenti parte aquilonari sepulcrum ipsum, hoc est, locus Domini corporis de eadem petra factus est, septem habens pedes longitudinis, trium vero palmarum mensura, cetero pavimento altius emittens. Qui videlicet locus non desuper, sed a latere meridiano per totum patulus est, unde corpus inferbatur. Color autem eiusdem monumenti ac loculi rubicundo et albo dicitur esse permixtus.

lymis in Britanniam venire, quod domus fuerit rotunda de subiacente rupe excisa tantae altitudinis, ut intro consistens homo vix manu extenta culmen possit attingere, quae habet introitum ab oriente, cui lapis ille magnus adolutus atque impositus est. In cuius monumenti parte aquilonari sepulcrum ipsum, hoc est, locus Domini corporis de eadem petra factus est, septem habens pedes longitudinis, trium vero palmarum mensura, cetero pavimento altius emittens. Qui videlicet locus non desuper, sed a latere meridiano per totum patulus est, unde corpus inferbatur. Color autem eiusdem monumenti ac loculi rubicundo et albo dicitur esse permixtus.

#### Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENESI, VOL. III, SERM. 451.)

2825 *GRESSUS est Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron.* (IOANN. XVIII.) Hodie oportet uti novo loquendi genere, quia materia de quo praedicare debemus, tantum est dolorosa quod plures requirit lacrymas, quam verba. Nullas hodie a beata Virgine quaerit coelum, vel sidera, ut dicit Augustinus, sed solum fluvium lacrymarum, ut die noctue cum ipsa plangente plangat Creatorem rerum cunctarum. Veruntamen, ut verba nostra sub congrua forma dicantur, hoc ordine procedemus dicendo, quod sex sunt quae Christi passionem reddunt acerbam. Prima indigna rerum adversatio; secunda magna morum permutatio; tertia opprobriosa verecundia; quarta penuriosa inopia; quinta doloris immensitas; sexta dulcissimae Matris pietas.

2826 Dico, quod Christi passionem reddit acerbam indigna rerum adversatio; nam ipse Christus erat potentissimus, quia sua virtute et potentia multos adinvenit; erat benevolus, quia sua benevolentia afflictos confortabat; erat piissimus, quia peccatoribus indulgebatur; erat iustissimus, quia innocentes defendebat; et mirum est, quod quantumcumque esset potens, nullus fuit qui eum advocaret, quantumcumque esset benevolus, nullus fuit qui eum confortaret, quantumcumque esset piissimus, nullus fuit qui sibi misericordiam impetraret, et quantumcumque esset iustus, nullus fuit qui eum excusaret; immo, quod crudelius est, potentia defensiva contra eum adversatur, quia

conversa est in crudellem afflictionem, benevolentia in livorem, misericordia in impletatem, et iustitia in falsitatem.

2827 Ecce indigna rerum adversatio; quia cuncta quae sibi debebant esse propria, facta sunt sibi contraria, et quod omnia sibi fuerunt adversa; quia desuper Deus Pater, cuius unicus erat Filius, dimisit eum in Iudaeorum manibus cruciendum; unde ipse in passione conqueritur, quum dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* desubter vero erat pia Mater, quae eum a passione revocabat; interius erat anima, quae nimium dolebat tot tormentis, et flagellis conquisari, propter quod rogabat Patrem, dicens: *Pater si fieri potest, transfer a me calicem hunc;* et subiungit causam, quia: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Sed ex parte dextera, id est, prosperitatis, fuit adversatio suorum discipulorum qui omnes eum reliquerunt, quod praedictum fuit Zachar. xi: *Percediam pastorem, et dispergentur oves.* Ultimo ex parte sinistra, id est, adversitatis, fuit adversatio Iudaeorum, qui eum blasphemabant, unde per Prophetam dicebat Psal.: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, sed dux meus et notus meus; unde de eo potest dici illud Thren. i: Omnes amici eius speraverunt eum, et facti sunt ei inimici.*

2828 Christi passionem reddit acerbam magna morum permutatio. Nam in Christo fuit charitativa benevolentia, vita sanctissima, facunda eloquentia, clarissima sapientia, mira et venusta figura. Unde pro sua benevolentia debebat reamari, pro vita sua sanctissima honorari, pro facunda eloquentia ascultari, pro clarissima sapientia admirari, pro misericordia recompensari, et pro venusta figura laudari, et pulchra conservari. Sed ecce morum permutatio magna; nam pro charitate, et benevolentia praedicti discipulo venditis, et traditis est; Matth. xxv: *Amice ad quid venisti?* et Luc. xxii: *Inde, osculo Filium hominis tradis?* pro vita sanctissima a suo populo, in quo miracula fecerat, turpiter in vasus, captus, detentus, et ligatus est; unde ipse dicebat, Luc. xxii: *Quasi ad latronem excisis cum gladiis, et fustibus comprehendere me;* pro facundissima eloquentia flagellis et verberationibus percussus redolagatus; propter quod ipse in maxilla extensus dicebat, Ioann. xviii: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, cur me caedis?* et pro clarissima sapientia fuit opprobriis, et irrisionibus interrogatus;

<sup>1</sup> *Revocabat* hic mitigatum sensum habet, et significat magnum dolorem Christi de magno dolore B. V. Mariae. In Filio enim et in Matre perfecta erant, servata proportione, uniformis divinae voluntati.



Dei non est de hoc mundo. Non ergo aequalitatis homini ad Deum, sed similitudinis aemulatio est: solus enim Christus est plena imago Dei, propter expressam in se paternae claritudinis unitatem: iustus autem homo ad imaginem Dei est, si propter imitandam divinae conversationis similitudinem mundum hunc Dei cognitione contemnat, voluptatesque terrenas verbi Dei perceptione despiciat, quo alimur in vitam; unde et corpus Christi edimus, ut vitae aeternae possimus esse participes. Non enim victus et potus nobis praemii loco spondetur et honoris, sed communicatio gratiae coelestis et vitae: neque duodecim throni tanquam aliqua corporalis sunt receptacula sessionis; sed quia sicut secundum divinam similitudinem iudicat Christus cognitione cordium, non interrogatione factorum, virtutem remunerans, impietatemque condemnans: ita et apostoli in iudicium spiritale formantur remuneratione fidei, et execratione perfidiae, virtute errorem redarguentes, sacrilegos odio persequentes.

2839 Convertamur igitur, et caveamus ne in perditionem aliqua inter nos de praelatione possit esse contentio; si enim contendebant apostoli, non excusationi obtenditur, sed cautioni proponitur. Si Petrus aliquando convertitur, qui ad primam Domini secutus est vocem (MATT. IV, 20), quis potest dicere cito se esse conversum? Cave ergo iactantiam, cave saeculum; ille enim confirmare iubetur fratres suos qui dixit: *Omnia dimisimus, et secuti sumus te* (LUC. XVII, 28).

2840 Deinde contuendum est quia non omnis honorificentiae studio humilitas definitur; potes enim deferre alicui propter saeculi gratiam, potentiae metum, utilitatisque contutum. Tua aedificatio quaeritur, non alterius honor: et ideo una datur omnibus forma sententiae, ut

non de praelatione iactantia sit, sed de humilitate contentio, eoque se Dominus proponit imitandum. Egebamus omnium, ipse nullorum; et tamen praebuit se humilitatis auctorem, cum discipulis ministraret. Quod utique non faciebat studio utilitatis, sed exercitatione virtutis.

Petrus autem etsi spiritu promptus, corporis tamen adhuc infirmus affectu denuntiatur Dominum negaturus; neque enim poterat divinae constantiam intentionis aequare. Passio Domini aemulus habet, pares non habet. Ita non reprehendo quod negavit, laudo quod flevit. Aliud commune conditionis est, aliud speciale virtutis. Et ideo instruitur ad cavendum, non cogitur ad negandum.

2841 *Qui nunc habet, inquit, sacculum, tol- lat similiter et peram, et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat sibi gladium.* O Domine, cur emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur habere praecipis, quem vetas promi? Nisi forte ut sit parata defensio, non ultio necessaria; et videar potuisse vindicari, sed noluisse. Lex tamen referre non vetat, et ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, *Satis est, dicens*, quasi licuerit usque ad Evangelium, ut sit in lege aequitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio.

2843 Multis hoc iniquum videtur; sed non iniquus Dominus, qui cum se posset ulcisci, maluit immolari. Est enim gladius spiritualis, ut vendas patrimonium, emas verbum, quo nuda mentis penetralia vestiuntur. Est etiam gladius passionis, ut exuas corpus, et immolatae carnis, exuviis ematur tibi sacri corona martyrii; quod ex benedictionibus Dominicis colligere potes, qui summam omnium coronam, si quis persecutionem patienter pro iustitia, praedicavit. Denique ut scias quia de passione locutus est, ne turbaret discipulorum animos, de se

exemplum protulit, dicens: *Quoniam hoc quod scriptum est, oportet impleri in me, quod et cum iniustus deputatus est.*

2844 *Movet tamen adhuc quod duos gladios discipuli protulerunt, ne forte unum Novi, alterum Veteris Testamenti, quibus adversus diaboli armamur insidias? Denique dicit Dominus: Satis est, quasi nihil desit ei quem utriusque Testamenti doctrina munierit.*

2845 *Pater, si possibile est, transfer a me calicem istum.* Haerent plerique hoc loco, qui tristitiam Salutaris ad argumentum inolita potius a principio, quam susceptae ad tempus infirmitatis inclinant, et naturalis sensum cupiunt detorqueere sententiae. Ego autem non solum excusandum non puto, sed etiam nusquam magis pietatem eius maiestatemque demiror; minus enim contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum. Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit quod doleret, et sequestrata delectatione divinitatis aeternae, taedio meae infirmitatis afflictor. Suscepit enim tristitiam meam, ut mihi suam lactitiam largiretur: et vestigiis nostris descendit usque ad mortis aerumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam. Confidenter ergo tristitiam nomino, quia crucem praedico; neque enim speciem Incarnationis suscepit, sed veritatem. Debuit ergo et dolorem suscipere, ut vinceret tristitiam, non excluderet. Neque enim habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnere tulerint quam dolorem: *Homo enim in plaga, et sciens*, inquit, *ferre infirmitates* (IS. LIII, 3).

2846 Nos vult erudire, ut quia in Ioseph didiceramus carcerem non timere, mortem vincere disceremus in Christo: et quod est amplius, quemadmodum futurae mortis moestitiam vinceremus. Quomodo enim te imitaremur, Domine Iesu, nisi sequeremur ut hominem, nisi mor-

tuum crederemus, nisi vulnera vidissemus? Quemadmodum discipuli crederent fuisse moriturum, nisi morituri tristitiam comperissent? Sed adhuc dormiunt, et nesciunt dolere, pro quibus Christus dolebat: ita enim legimus: *Quia peccata nostra portat, et pro nobis dolet* (IS. LIII, 4). Doles ergo, Domine, non tua, sed mea vulnera: non tuam mortem, sed nostram infirmitatem; et nos aestimavimus te esse in doloribus, cum tu non pro te, sed pro me doleres; infirmatus enim es, sed propter peccata nostra (Ibid. VI); non quia illa tibi infirmitas erat ex Patre assumpta, sed pro me suscepta; quia mihi proderat ut eruditio pacis nostrae esset in te, et livore tuo vulnera nostra sanares.

2847 Sed quid mirum si pro omnibus doluit, qui pro uno flevit? Et quid mirum si moriturus pro omnibus taedeat, qui Lazarum resuscitaturus illacrymat? (IOANN. XI, 35). Sed et ibi piaec sororis lacrymis commovetur, quia mentem humanam tangebant; et hic alto operatur affectu, ut quia in carne sua peccata nostra perimebat, moerorem quoque animae nostrae, suae animae moeror aboleret. Et fortasse ideo tristis est, quia post Adae lapsum tali transitu nobis erat ex hoc saeculo recedendum, ut mori esset necesse: *Deus enim mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum* (SAP. I, 13); et ideo fastidit quod ipse non fecit.

2848 Denique ait: *Transfer a me calicem istum*, quasi homo mortem recusans, quasi Deus sententiam suam servans; oportet enim mori nos saeculo, ut resurgamus Deo; ut iuxta divinam sententiam lex maledictionis, resoluta in terrae limbum naturae fine, solvatur (GEN. II, 19).

2849 Quod autem ait: *Non mea voluntas, sed tua fiat*. Suam ad hominem retulit Patris, ad Divinitatem; voluntas enim hominis

temporalis, voluntas Divinitatis aeterna. Non alia voluntas Patris, alia Filii; una enim voluntas ubi una Divinitas. Disce tamen Deo esse subiectus, ut non quod ipse vis eligas, sed quod Deo scias esse placiturum.

2850 Deinde verborum ipsorum proprietatem consideremus: *Tristis est, inquit, anima mea* (MATTH. XXVI, 38). Et alibi: *Nunc anima mea turbata est valde* (PSAL. VI, 4). Non ergo suscipiens, sed suscepta turbatur; anima enim obnoxia passionibus, divinitas libera. Denique: *Spiritus promptus, caro autem infirma* (MATTH. XXVI, 41). Tristis autem est non ipse, sed anima. Non est tristis sapientia, non divinitas substantia, sed anima. Suscepit corpus meum; non me fefellit, ut aliud esset, aliud videretur. Tristis videbatur, et tristis erat, non pro sua passione, sed pro nostra dispersione. Denique ait: *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis* (Ibid. 31). Tristis erat, quia nos parvulos relinquebat. Ceterum quam constanter se morti obtulerit, Scriptura declarat quandoquidem quaerentibus occurrit, turbatos confirmavit, trepidos provocavit, proditorem osculi dignatione suscepit (IOANN. XVIII, 4-10; MATTH. XXVI, 49).

2851 Nec illud distat a vero, si tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegii poenas duros. Et ideo dixit: *Transfer hunc calicem a me* (LUC. XXI, 42); non quia Dei Filius mortem timebat, sed quia vel malos perire nolebat. Denique ait: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (LUC. XXIII, 34), ut passio sua esset omnibus salutaris.

2852 *Iuda, osculo Filium hominis tradis?* Magna divinae significatio potestatis, magna disciplina virtutis. Et consilium prodicionis aperitur, et adhuc patientia non negatur. Ostendisti, Domine, quem prodideret, dum occulta manifestas. Ostendi-

sti etiam quem traderet, dum dicit: *Filium hominis*; quia caro, non divinitas comprehenditur. Illud tamen plus confutat ingratum, quod eum tradiderit, qui cum esset Dei Filius, propter nos tamen Filius hominis esse voluisset. Quasi dicat: Propter te suscepi, ingratus, quod tradis. En hypocrisin. Ergo pro interrogationem pronuntiandum puto, quasi amantis affectu corripiat proditorem: *Iuda, osculo Filium hominis tradis?* Hoc est, amoris pignore vulnus infligis, et charitatis officio sanguinem fundis, et instrumento pacis mortem irrogas? Servus dominum, discipulus prodis magistrum, electus auctorem? Hoc est illud: *Utiliora vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici* (Prov. XXVII, 6). Proditori hoc: pacifico vero quid dicitur? *Osculetur me ab osculis oris sui* (CANT. I, 1).

2853 *Et osculatus est, inquit, eum* (MATTH. XXVI, 49). Non quod simulare nos doceat, sed ut neque proditorem refugere videretur, et plus afficeret proditorem, cui amoris officia non negaret; scriptum est enim: *Cum odientibus pacem eram pacificus* (PSAL. CXIX, 7).

2854 Et signo dato, inquit, ab iis qui cum fustibus venerant, comprehenditur (MATTH. XXVI, 50); sed Dominum omnium mysteria, non arma tenuerunt. Denique locutus est, et ceciderunt retrorsum (IOANN. XVIII, 6). Quo mihi legionibus angelorum, quo coelestis exercitus? Vox Domini sola plus terret. Hanc ille ad demonstrandum divinae maiestatis indicium, qui in pectore Christi recumbebat, eligit. Volenti ergo iniicit manus turba, necuntur vincula. O amentes! O perfidi! non sic comprehenditur sapientia, non sic tenetur iustitia.

2855 Nec discipulorum studia defuerunt. Denique Petrus eruditus in lege, promptus affectu, qui sciret Phineae reputatum ad iustitiam quod sacrilegos per-

emisset, percussit principisservum (Psal. CV, 30, 31). Sed Dominus vulnera cruenta detersit, mysteria divina subiecit, ut servus principis mundi, hoc est, non naturae conditione, sed culpae, saecularium famulus potestatum, auris suae vulnus exciperet; quia non audisset verba Sapientiae: *Omnis denique qui facit peccatum servus est peccati*. (IOANN. VIII, 34). *Peccatis, inquit, vestri venditi estis* (Is. L, 1). Venditio propter peccata nostra: propter bonitatem autem Dei redemptio peccatorum. Aut si Petrus volens percussit aurem, docuit quod aurem habere in specie non deberent, quam in mysterio non habebant. Sed bonus Dominus et ipsi refundit auditum, secundum prophetica dicta demonstrans (Is. XXXV, 10) et ipsos, si convertantur, posse sanari, qui in passione Domini, vulnerati sunt; eo quod omne peccatum fidei mysteriis ablueretur.

2856 Tollit ergo Petrus aurem. Quare Petrus? Quia ipse est qui accepit claves regni coelorum (MATTH. XVI, 19); ille enim condemnat, qui et absolvit: quoniam idem et ligandi et solvendi adeptus est potestatem (Ibid.). Tollit autem aurem male audientis; tollit autem gladio spiritali aurem interiorem male intelligentis.

2857 Caveamus ne cui tollatur auricula. Legitur passio Domini: si ad divinitatem eius referimus infirmitatem corporae passionis, excidit auricula, et excidit a Petro, qui non passus est Christum prophetam aestimari: sed Dei Filium docuit fidei confessione signari. Ergo cum legimus teneri Iesum, caveamus ne ab aliquo audiamus, et putemus eum secundum divinitatem teneri, teneri invitum, teneri quasi infirmum. Tenetur quidem, et, ut dixit Ioannes, ligatur secundum corporis veritatem (Io-

ANN. XVIII, 12); sed vae illis qui ligant Verbum! Ligant enim qui tantummodo Christum hominem putant; ligant qui praescium non putant, qui omnipotentem non confitentur. Mala vincula Iudaeorum quibus non Christum ligant, sed scipsos alligant. Ligatur autem in domo non pii alicuius et iusti, sed in domo Caiphae, hoc est, in impia domo; ubi etiam moriturus pro omnibus prophetatur (IOANN. XI, 50). Quam amentes igitur qui beneficia divina confitentur, et beneficiorum auctorem persequuntur!

2858 Ideo aurem perdunt, quia perdidit auditum profectum. Auditum multi non habent, qui habere se credunt. In Ecclesia omnes habent, extra Ecclesiam non habent. Aut fortasse ideo aurem tollit; ne amplius delinquent audientes, qui audita servare non possent. Sic et aliquando confudit Deus linguas exstruentium turrem (GENES. XI, 7), ne se audirent, et opus suae impietatis au-

2859 Comprehende, si potes, quomodo ad dexteram salutaris attactum fugiat dolor, et vulnera non medicamento aspersa, sed tactu obducta sanentur. Operatorem suum limus agnoscit, et operatricem suam Domini manum sequitur caro; quomodo enim vult, opus suum Creator instaurat. Sic et alibi caeco illi visus, luto supra oculos illito (IOANN. IX, 6), quasi in naturam redierit, reformatur. Iubere potuit, sed operari maluit; ut cognoscamus ipsum esse qui e limo terrae corporis membra nostri variis apta formavit officis, et infuso vigore mentis animavit.

2860 Venerunt ergo et comprehenderunt eum, gravius perituri studii sui fructu: nec intellexerunt infelices mysterium, nec venerati sunt tam clementem pietatis affectum, quod etiam hostes suos non passus est vulnerari. Illi iusto mor-

tem inferebant: persecutorum vulnera iste sanabat.

<sup>2861</sup> *Petrus vero sequebatur a longe.* Et bene a longe sequebatur, iam proxime negaturus; neque enim negare potuisset, si Christo proximus adhaesisset. Sed fortasse et in hoc nobis maxima sit admiratione reverendus, quod Dominum non reliquit, etiam cum timeret. Metus naturae est, cura pietatis. Alienum, quod timet: suum, quod non fugit. Quod sequitur, devotionis; quod negat, obreptionis. Commune, quod labitur; fidei, quod poenitet. Iam in domo principis sacerdotum ignis ardebat: accessit Petrus, ut calciaeretur se; quia clauso Domino calor mentis etiam in ipso refrixerat.

<sup>2862</sup> Quid sibi vult quod prima cum prodit ancilla, cum viri utique magis eum potuerint recognoscere, nisi ut et iste sexus peccasse in necem Domini videretur, ut et iste sexus redimeretur per Domini passionem? Et ideo mulier resurrectionis accipit prima mysterium (IOANN. XX, 17), et mandata custodit; ut veterem praevocationis aboleret errorem.

<sup>2863</sup> Petrus ergo proditus negat; ponamus enim negasse Petrum, quia dixit Dominus: *Ter me negabis?* (MATTH. XXVI, 34). Et malo negasse Petrum, quam Dominum sefellisse. Quid negavit? Quod promisit incaute. Devotionem consideravit, non respexit conditionem. Multatus, quia dixit se animam ponere (IOANN. XIII, 37); quod non humanae infirmitatis, sed divinae est potestatis. Cum tam gravem imprudentis sermonis multam luerit, quanta est poena perfidiae!

<sup>2864</sup> Ubi tamen negat Petrus? Non in monte, non in templo, non in sua domo: sed in praetorio Iudaeorum, in domo principis sacerdotum. Ibi negat, ubi veritas non est; ibi negat, ubi Christus captus, ubi Iesus ligatus est. Quid nisi

erraret, quem intromisit ostiaria, interrogavit ostiaria (IOANN. XVIII, 17), et ostiaria Iudaeorum? Male Eva induxit Adam, male Petrum introduxit femina. Sed ille in paradiso labitur, ubi non veniabilis culpa: hic in praetorio Iudaeorum, ubi difficilis innocentia. Illi interdictus lapsus, huic praedictus error. Ille commissus huic praedidicavit, hic illum resolvit.

Consideremus etiam quo in statu negat. *Frigus*, inquit, *erat* (Ibid. 18). Si tempus consideremus, frigus esse non poterat; sed frigus erat ubi Iesus non agnoscebatur, ubi non erat qui lucem videret, ubi negabatur ignis consumens. Frigus ergo erat mentis, non corporis. Denique ad carbonem stabat Petrus (MARC. XIV, 54), quia algebat affectu. Mala flamma Iudaica: urit, non calefacit. Malus focus, qui quandam etiam sanctorum mentibus fuliginem erroris aspergit, iuxta quem etiam Petri interiores oculi caligarunt. Illi oculi non carnis et sanguinis, sed oculi mentis, quibus Christum videbat.

Dicit aliquis: Tu Iudaeorum etiam elementa condemnas? Non condemno elementa, quia non sunt Iudaeorum, sed Christi: sed alia est quam condemno, flamma perfidiae. Haec flammam condemno Iudaeorum, divina secutus oracula; dicit enim Dominus: *Argentum vestrum reprobum est* (IEREM. VI, 30). Si argentum Iudaeorum reprobum est, et focus reprobis Iudaeorum est. Denique foco et auro Iudaeorum caput vituli figuratum est (EXOD. XXXII, 24), hoc est sacrilegii principatus.

Sed videamus negandi tenorem, quem inter evangelistas video esse diversum. Ita novum fuit Petrum potuisse peccare, ut peccatum eius nec ab evangelistis potuerit comprehendi. Itaque Petrum prodenti ancillae quod ex illis esset

qui cum Iesu Galilaeo erant (MATTH. XXVI, 69), prima voce Mathaeus posuit respondisse: *Nescio quid dicas* (MATTH. XXVI, 70). Hoc etiam Marcus (MARC. XIV, 68), qui secutus est Petrum, et ex ipso potuit verius cognoscere. Prima vox negantis est Petri; qua tamen non negare Dominum, sed a prodicione se separasse mulieris videtur.

<sup>2865</sup> Quid tamen negaverit, considera. Ex illis utique se esse, qui cum Iesu Galilaeo erant, vel, ut Marcus posuit (Ibid. 67), cum Iesu Nazareno. Numquid negavit cum Dei fuisse se Filio? Hoc est dicere: Nescio Galilaeum, nescio Nazarenum, quem Dei Filium novi. Habeant homines locorum vocabula, Dei Filii patria non potest nuncupari, cuius maiestatem locus nullus includit. Et ut scias hoc verum esse, etiam exemplo probatur; nam alibi cum interrogaret Dominus discipulos: *Quem dicunt esse homines Filium hominis? Alii Eliam, alii Ieremiam dixerunt, aut unum de prophetis* (MATTH. XVI, 13, 14); Petrus autem ait: *Tu es Christus Filius Dei vivi* (Ibid. 16). Numquid et ibi negavit, quia Christum non hominis Filium, sed Dei maluit confiteri? Certe quid hic putamus ambiguum, quod etiam Christus probavit?

<sup>2866</sup> Et alius accipe. Interrogatus enim Petrus: *Et tu ex illis es, qui cum Iesu Galilaeo erant?* (MATTH. XXVI, 69). Verbum aeternitatis refugit; non enim erant, qui esse cooperunt, hoc est dicere: Ille solus erat, qui in principio erat (IOANN. I, 1). Denique ait: *Non sum ego*; illius est enim esse, qui semper est. Unde et Moses ait: *Qui est, misit me* (EXOD. III, 14).

<sup>2870</sup> Rursus cum urgeretur quod ex illis esset, secundum Marcum negavit (MARC. XIV, 70); ut scias Evangelistam veritatem quam gratiae plus dedisse: sed tamen negavit ex illis se esse, non Christum negavit. Negavit hominum consortia, non

Dei gratiam. Negavit ex illis se esse, qui cum Galilaeo erant, non negavit cum Dei Filio.

Denique secundum Matthaicum proditus quod cum Iesu Nazareno fuisset, ait: *Nescio hominem* (MATTH. XXVI, 72). Hoc idem et in tertia voce uterque, de quibus proposuimus, Evangelista; cum iuramento enim respondisse posuerunt, quia nesciret hominem. Et bene negavit hominem, quem sciebat Deum. Denique ubi iusiurandum est, cauta responsio est. Nam etsi negavit Petrus, non tamen peieravit; quia nec Dominum peieraturum esse memoraverat. Quod si in Petro dubium est, quam periculosum est iusiurandum!

Ioannes eodem sic posuit, quoniam <sup>2872</sup> interrogatus ab ancilla Petrus, utrum ex discipulis esset illius hominis, prima voce responderit: *Non sum* (IOANN. XVIII, 17). Non enim erat hominis apostolus, qui erat Christi. Denique et Paulus hominis apostolum se esse negavit, dicens: *Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, et Deum Patrem* (GALAT. I, 1). Sed ne videretur ambiguum aliquod incarnationis afferre, subiicit: *Qui suscitavit eum a mortuis* (Ibid.), ut et hominem credas cum Deum ante credideris. Quod alibi quoque eodem tenore custodit, ubi dicit: *Unus enim Deus, et unus mediator Dei et hominum homo Christus Iesus* (I TIM. II, 5). Prius utique mediatorem Dei quam hominum nuncupavit; non enim sat est utrumque credere, nisi fidei ordo servetur.

Concordat igitur ubique responsio; <sup>2873</sup> nam qui dixit: *Nescio hominem* (MATTH. XXV, 72), acquum erat ut interrogatus utrum esset ex discipulis hominis, diceret: *Non sum* (IOANN. XVIII, 17). Itaque non Christi discipulum se negavit, sed hominis negavit esse discipulum. Itaque

et Petrus et Paulus hominem negaverunt, quem Dei Filium fatebantur. Quod sensit Petrus, et Paulus expressit; hinc et ille profecit. Error Petri, doctrina iustorum est; et titubatio Petri, omnium petra est. Denique super undas titubatur, sed dexteram porrigit Christo: in monte cadit, sed levatur a Christo. Titubavit quidem Petrus in mari, sed ambulavit (MATTH. XIV, 30). Firmior titubatio Petri, quam nostra est firmitudo. Ibi cadit, quo nullus ascendit: ibi nutat, ubi nemo ambulat. Et tamen inter undas licet titubet, non labitur: nutat, non cadit: fluitat, non praecipitatur. Et si cecidit, in monte tamen cecidit; sed felicius ille cecidit quam alii steterunt: felicius cecidit, quem Christus levavit.

<sup>2874</sup> Iterum autem interrogatum quod ex discipulis eius esset, Ioannes scripsit negasse (IOANN. XVIII, 25). Et bene negavit, quia ex eius dicebatur esse discipulis, quem hominem in superioribus sunt locuti. Nam et tertio quod cum illo visus esset, negavit, et hoc de superioribus derivatur: Cum illo quem hominem nuncupatis, non fui: sed a Dei Filio non recessi.

<sup>2875</sup> Lucas quoque scripsit Petrum interrogatum utrum ex illis esset, respondisse prima voce: *Non novi illum*. Et bene dixit. Temerarium quippe erat, ut diceret quia noverat eum, quem mens humana non potest comprehendere. *Nemo enim novit Filium, nisi Pater* (MATTH. XI, 27). Rursus secunda voce, secundum Lucam idem Petrus ait: *Non sum ego*. Maluit videlicet se negare, quam Christum. Aut quia videbatur negare Christi societatem, utique se negavit. Certe cum de homine negat, in Filium peccavit hominis, ut remitteretur ei, non in Spiritum sanctum. Tertio quoque interrogatus, ait: *Nescio quid dicas*, hoc est, sacrilegia vestra nescio.

Sed nos excusamus, ipse non excusavit; non enim satis est involuta responsio confidentis Iesum, sed aperta confessio. Quid prodest verba involvere, si videri vis denegasse? Et ideo Petrus non de industria sic respondisse inducitur; quia postea recordatus est, et tamen flevit. Maluit enim ipse suum accusare peccatum, ut iustificaretur latendo, quam gravaretur negando: *Iustus enim in principio accusator est sui* (PROV. XVIII, 17); et ideo flevit. [Recte Ambrosius mitigat praecedentia].

<sup>2877</sup> Quare flevit? Quia culpa obrepit ei: ego soleo flere, si culpa mihi desit, hoc est, si non me vindicem, si non obtineam quod improbe cupio. Petrus doluit et flevit; quia erravit ut homo. Non invenio quid dixerit, invenio quod flevit: lacrymas eius lego, satisfactionem non lego: sed quod defendi non potest, abluui potest. Lavent lacrymae delictum, quod voce pudor est confiteri. Et veniae fletus consulunt, et verecundiae. Lacrymae sine horrore culpam loquuntur: lacrymae crimen sine offensione verecundiae confitentur: lacrymae veniam non postulant, et merentur. Inveni cur tacuerit Petrus, ne tam cito veniae petitio plus offenderet. Ante flendum est, sic precandum.

<sup>2878</sup> Bonae lacrymae, quae lavant culpam. Denique quos Iesus respicit, plorant. Negavit primo Petrus, et non flevit: quia non respexerat Dominus. Negavit secundo, non flevit; quia adhuc non respexerat Dominus. Negavit et tertio, respexit Iesus, et ille amarissime flevit. Respice, Domine Iesu, ut sciamus nostrum delere peccatum, lavare delictum. Unde etiam lapsus sanctorum utilis: nihil mihi nocuit quod negavit Petrus, profuit quod emendavit. Didici cavere alloquia perfidorum. Petrus inter Iudaeos negavit, Salomon contubernio gentili deceptus erravit (III REG. XI, 4).

<sup>2879</sup> Flevit ergo et amarissime Petrus, flevit ut lacrymis suum posset lavare delictum: et tu si veniam vis mereri, dilue lacrymis culpam tuam: eodem momento, eodem tempore respicit te Christus. Si in aliquo fortasse labaris; quia secretorum tuorum assistit testis, respicit ut recorderis et fatearis errorem. Imitare Petrum dicentem alibi tertio: *Domine, tu scis quia diligo te* (IOANN. XXI, 15). Etenim quia tertio negaverat, tertio confitetur: sed negavit in nocte, confitetur in die.

<sup>2880</sup> Haec autem ideo scripta sunt, ut sciamus neminem iactare se debere; nam si Petrus lapsus est, qui dixit: *Et si alii scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor* (MARC. XIV, 29), quis alius iure de se praesumat? Denique et David quia dixerat: *Ego dixi in mea abundantia, non movebor in aeternum* (PSAL. XXIX, 7), eam sibi iactantiam obfuisse profiteatur, dicens: *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* (Ibid. 8).

<sup>2881</sup> Unde te evocem, Petre, ut doceas me quid flens cogitaveris? Unde, inquam te evocem? De caelo, ubi iam choro insertus es angelorum: an etiam de tumulo; quia non putas iniuriam et ibi esse, unde Dominus resurrexit? Doce nos quid tibi profuerint lacrymae tuae. Sed docuisti illico: nam qui lapsus es, antequam aleres, postquam flevisti, electus es ut alios regeres, qui te ipse ante non rexeras.

<sup>2882</sup> Habebat ergo lacrymas Petrus, pio quas funderet affectu: non habebat perditorem fletus quibus culpam ablueret, sed tormenta conscientiae quibus sacrilegium fateretur; ut dum suo reus iudicio damnatur, et spontaneo supplicio facinus expiatur, pietas Domini, qui se ipse nollet ulcisci, et divinitas probaretur, qui conscientiam mentis invisibili potentate interrogaret.

<sup>2883</sup> *Peccavi, inquit, quod tradiderim sanguinem iustum* (MATTH. XXVII, 4). Etsi casta est poenitentia proditoris, quia peccavit in Spiritum sanctum; est tamen nonnullus in scelere pudor culpam agnoscere. Et quamvis ille non absolvitur, Iudaeorum tamen impudentia confutatur: quos cum professio redarguat venditoris, scelerati tamen sibi vindicant iura contractus, et exsortes reatus esse se credunt, dum dicunt: *Quid ad nos? Tu videris* (Ibid.). Amentes plane, qui putent solvi se magis auctoris scelere, quam teneri. In pecuniariis causis refuso pretio ius solvitur: hi pretium recipiunt, et sacrilegium persequuntur, ac pertinacibus studiis funestam sibi vindicant sanguinis auctionem, cum refunderet venditor sacrilegii mercedem.

<sup>2884</sup> Evidenter itaque, dum pretium sanguinis a Iudaeorum gazophylaciis separatur, et ager figuli ea qua venditur Christus, comparatur pecunia (Ibid. 7); dum is locus humanis peregrinorum reliquiis dicitur, et prophetiae impletur oraculum (ZACHAR. XI, 12), et surgentis Ecclesiae mysterium revelatur. Ager enim secundum divina praecepta mundus hic omnis est (MATTH. XII, 38): figulus autem, ille qui nos formavit et limo, de quo habes in Veteri Testamento: *Quia fixit Deus hominem de limo terrae* (GEN. II, 7), formandi per naturam, reformandi per gratiam habens pro suo arbitrio potestatem. Nam etsi propriis vitis corruamus, per illius tamen misericordiam resumpto mentis spiritu, secundum Ieremiae oracula reformamur.

<sup>2885</sup> Pretium quoque sanguinis est pretium Dominicae passionis. Ergo pretio sanguinis emitur mundus a Christo; venit enim ut salvetur mundus per ipsum (IOANN. III, 17); in quo iuxta ut opus auctoris, et ius est. Venit ergo ut consepultos per baptismum, et commortuos

Christo ad perpetuitatis gratiam reservaret. Sed non passim omnibus ad sepeliendum est locus; nam etsi omnes mundus includat, non omnes reservat: et si communis habitatio, tamen legitima sepultura esteorum, scilicet, qui nunc sunt per fidem domestici Dei, sed fuerunt in lege peregrini. Qui sunt isti nisi de quibus dicitur: *Memores estote quod aliquando vos gentes, qui eratis in carne alieni a conversatione Israel, et peregrini promissionis Testamentorum?* (EPHES. II, 11, 12). Sed hi nunc iam non sunt advenae atque peregrini; quoniam cives sanctorum esse fidei iure meruerunt.

<sup>2886</sup> Sequitur admirabilis locus, quo subeundae aequanimiter iniuriae moralis infunditur patientia pectoribus humanis. Accusatur Dominus, et tacet (MATTH. XXVII, 12): et bene tacet, qui defensione non indiget. Ambienti defendi, qui timent vinci. Non ergo accusationem timendo confirmat, sed despicit non refellendo. Quid enim timeret, qui non ambiret salutem? Salus omnium suam prodidit, ut acquirat omnium. Sed quid de Deo loquar? Susanna tacuit, et vicit; melior enim causa, quae non defenditur, et probatur. Et hic Pilatus absolvit; sed absolvit iudicio, crucifixit mysterio. Verbum hoc speciale Christi: illud humanum, ut apud iniquos iudices magis videretur noluisse, quam non potuisse defendi.

<sup>2887</sup> Cur autem Dominus taceret, ipse praemisit, dicens: *Si vobis dixero, non credetis mihi: si vos interrogavero, non respondetis mihi* (LUC. XXII, 67, 68). Illud tamen praestantissimum, quod maluit regem se probare, quam dicere; ut condemnandi causam habere non possent, qui quod obiciunt, hoc fatentur.

<sup>2888</sup> Herode autem cupiente aliqua mirabilia eius videre, ipse tacuit et nihil fecit; quia nec illius crudelitas merebatur videre divina, et Dominus iactantiam

declinabat. Et fortasse typice in Herode omnes impii significantur: qui si Legi non crediderint et Prophetis, mirabilia Christi opera in Evangelio quoque videre non possint.

Ad Herodem mittitur, ad Pilatum remittitur. Et si uterque reum non pronuntiant, alienae tamen crudelitatis studiis obsequuntur. Lavit quidem manus Pilatus (MATTH. XXVII, 24), sed facta non diluit: iudex enim nec invidiae cedere debuit, nec timori; ut sanguinem innocentis addiceret. Monebat uxor (Ibid. 19): lucebat in nocte gratia: divinitas eminebat; nec sic a sacrilega sententia temperavit.

Similiter in hoc typum omnium iudicum arbitrator esse praemisum, qui damnaturi essent eos quos innocuos aestimant. Tolerabiliore tamen gentiles esse quam Iudaeos coniuncta Pilato persona demonstrat: et magis eos divinis ad fidem operibus admoneri. Quales autem illi qui Dominum maiestatis crucifixerunt?

Nec immerito homicidae absolutionem petunt, qui flagitabant innocentis exitium. Tales leges iniquitas habet, ut oderit innocentiam, scelus diligit. In quo tamen nominis interpretatio speciem dat figurae; Barabbas enim *patris filius* Latine dicitur: illi ergo quibus dicitur: *Vos ex patre diabolo estis* (IOANN. VIII, 44), vero Dei Filio filium patris sui Antichristum praclaturi esse produntur.

<sup>2892</sup> *El indutum illum veste alba remisit.* Non otiosum quod veste alba induitur ab Herode, immaculatae tribuens indicia passionis; quod agnus Dei sine macula, cum gloria peccata mundi susciperet. In typo etiam Herodis atque Pilati, qui amici ex inimicis facti sunt per Iesum Christum plebis Israel populi que gentilis figura servatur, quod per Domini passionem utriusque sit futura concordia; ita

tamen ut pius populus nationum capiat verbum Dei, et ad populum Iudaeorum fidei suae devotione transmittat, ut illi quoque gloria maiestatis suae corpus vestiant Christi, quem ante desperaverant.

<sup>2893</sup> Chlamidem autem cocineam induitur a militibus, et purpuream tunicam (MATTH. XXVII, 28): in altera designans martyrum palmas, in altera regiae potestatis insignia: quod caro eius fuscum toto orbe terrarum sanguinem esset susceptura pro nobis, et passio regnum paritura de nobis.

<sup>2894</sup> Corona quoque de spinis capiti eius annexa (Ibid. 29), quid aliud quam divini operis munus ostendit, quod de peccatoribus mundi tamquam saeculi spinis triumphalis gloria Deo quaereretur. Nec flagella vacant quia flagellatus est ipse ne nos flagellaremur: *Homo enim in plaga, et sciens ferre infirmitates, pro nobis dolet* (IS. LIII, 3, 4), a nobis qui Deum antea fugiebamus flagella detorquens: tam patiens Dominus, ut fugitivorum vinculis proprias manus, fugitivorum flagellis suum corpus offerret. Detestabili itaque mentis affectu honoratum tamen Iudaei exitum produnt; nam etsi compungentes coronant, illudentes adorant: etsi corde non credunt, quem perimunt, confitentur. Illis defuerunt boni operis affectus; Deo tamen suus non defuit honor: qui salatur ut rex, coronatur ut victor, quasi Deus et Dominus adoratur.

<sup>2895</sup> Arundo quoque vel secundum Matthaeum comprehenditur manu eius (MATTH. XXVII, 29); ut fragilitas humana iam non sicut arundo moveatur a vento, sed operibus Christi corroborata fundetur, et affixo cruci chirographo quod erat contrarium nobis, sententia vetusta cessaret: vel secundum Marcum caput eius percuit (MARC. XV, 19), ut solidata divinitatis attacku nostra conditio nutare non possit.

<sup>2896</sup> Sed iam tropaeum suum victor attollat. Crux super humeros imponitur ut tropaeum, quod sive Simon, sive ipse portaverit, et Christus in homine, et homo portavit in Christo. Nec discordant evangelistarum sententiae, quando concordat mysterium: et bonus ordo nostri profectus est; ut prius crucis suae tropaeum ipse erigeret, deinde martyribus traderet erigendum. Non Iudaeus est qui crucem portat, sed alienigena, atque peregrinus: nec praecedit, sed sequitur, iuxta quod scriptum est: *Tolle crucem tuam, et sequere me* (LUC. IX, 23). Non enim suam, sed nostram crucem Christus ascendit. Nec mors illa divinitatis fuit, sed quasi hominis: unde et ipse ait: *Deus, Deus meus, respice me: quare me dereliquisti?* (MATTH. XXVII, 46).

<sup>2897</sup> Pulchre ascensurus crucem regalia vestimenta deposuit; ut scias quasi hominem passum esse, non quasi Deum regem: etsi utrumque Christus, quasi hominem tamen, non quasi Deum cruci esse suffixum. Sed milites non Iudaei sciunt quo tempore, qualia vestimenta Christo conveniant iudicio quasi victor assistit: ad passionem tamquam reus, humilis venit.

<sup>2898</sup> Nunc quoniam tropaeum iam vidimus, currum suum triumphator ascendat: nec arborum truncis, aut quadrijugis plaustris manibus de mortali hoste quaesitas, sed patibulo triumphali suspendat captiva de sacculo spolia. Non hic revinctis post tergum brachii gentes, nec excisarum urbium imagines cervinus, oppidorumque captorum simulacra, aut submissa captorum regum colla mirantur, quales humanorum solent species esse triumphorum; nec victoriae terminos regionis sine distinctos; sed ovan-tes populos nationum, quaesitos non ad supplicium, sed ad praemium, reges liberis affectibus adorantes, voluntariis